

THES. XVII.

Cùm enim, ut jam superiùs indigitatum fuit, ventriculus non solùm matraccii recipientis vicem gerat; sed tunicâ musculosâ satis robustâ, & duplici fibrarum carnearum serie constante, præditus cibos etiam conquasset, & intimiorem eorum cum menstrualium humore commiscelam promoveat: facillè sentitur noxa, si, fibris à distensione nimia laxatis, sufficienter arctari nequeat ad complectendos cibos, quod vitii genus helluonibus ac multibibis ab infarctû alimentorum nimio, potusque ingurgitatione immodica evenire solet.

THES. XVIII.

Et ne de inflatione, tumoribus, vulneribus, ulceribus &c. ventriculi, motum ejus valdè turbantibus, dicam, mentio saltem injicienda erit defectûs Spirituum animalium, eorumque ad tunicas stomachi influxus denegati, quò tamen illæ æquè ac aliæ partes musculosæ, motui destinatæ, minùs carere possunt. Et hi quidem vel deficiunt, vel segniùs affluunt, vel denique aliorsum moventur ac divertuntur.

THES. XIX.

Defectum Spirituum producant, illosque in minore quantitate appellere faciunt evacuationes humorum laudabilium quævis, tam naturales, si modum excefferint, v. g. mensium & humoris spermatici nimix profusiones; quàm p. n. v. g. hæmorrhagiæ omnes. Et referendi huc etiam labores vehementiùs delassantes, animi æquè ac corporis, it: vigiliæ immoderatiores.

THES. XX.

Segniùs iidem affluunt, quando à narcoticis stupidiore redduntur: Hæc enim, sicut, dum in conveniente dosi ac tempestivè propinantur, nimium spirituum
mo-